QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA 500

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVI. FEBRVARII, MAGISTRO IOANNE HAVTIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Octimestris partus vitalis?

SVA cuique vt moriendi, sic & oriendi necessitas, moritur quia ortus, oritur quia moriturus, calor & humor vitæ mortisque fatum est: vita prima, mors vltima rerum linea, vtraque tamen in puncto, & omnis extensionis aut graduum latitudinis expers. Nec enim prius viuit fœtus quam sit rationalis, vt nec prius desinit esse, quàm moriatur. Natura licet ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα, si stet ἄπλαστος καὶ οὐδὲν παθοῦσα, suos nouit & seruat ordines, & suos terminos quibus matrem nunquam nouercam, siue vitam credere, siue creditam repetere opus fuerit, se singulis exhibet, vbi quid mendosum offenderit emendare nititur, & in melius commutare, eoque promptius quo ministri Medici manus sentit auxiliatrices, quæ cum ei adesse nequeunt, sæpe hostis inclementia aut prosternitur, aut à solita operandi methodo auocatur.

SEMEN quia vitæ opifex & pabulum, ἐργαστηρίῳ vndique conclusum, ἐμφυσώμενον spiritum genitorem animæ vicarium, intro forasque propellit, qui crassiorem materiam sibi tanquam vallum prætendit, inde membrana duplex (quærenda enim in brutis ἀλλαντοειδής) quæ placentæ interuentu vteri cotyledonibus firmiter hærent affixæ, alioquin spontaneus fiet aborsus aut ἔκρυσις: tum reliquis ad septimum diebus partium simul omnium ducit lineamenta. Vena vmbilicalis (qua præcisa hominem interire nugatorium est) prima conformatione perficitur, dum cæteris perficiendis die septimo incipit vehere commeatum: qui quia conformationis tempore paucus inuehitur, vteri corpus tanto crassius quanto magis distentum irrigat & inundat, donec à partu totidem quot conformatio diebus absoluta est, excernatur.

VENAM hepar sequitur, quod in fœtu sanguinem licet non efficiat, primum tamen operari nemo iure negauerit. Cor vt operationis, sic & conformationis ordine secundũ est: in vtraque cerebrum locum tenet postremum, nobilitate alioquin cæteris præponendum, reliquæ partes vt ad nobiles necessitate aut situ propius accedunt aut recedunt, celerius vel tardius perficiuntur. Hæc naturæ bene operantis ratio. Vbi male operatur, aut molam nunquam sine viro gestandam nulla partium distinctione congerit, aut monstra ex instrumentorum deprauatione aut materiæ vitio magis deformat quam conformat. Perfecta non ante trigesimum diem conformatione anima cœlitus infusa, facultatibus suis circumsepta, singulis partibus sua demandat officia, sed propter mollitiem nerui tandiu feriantur & musculi motus voluntarij organa, donec firmiores & ficciores facti, mense tertio motum exordiantur, & compressis motu inferioribus abdominis partibus, sanguinem in matris mammas exprimant, vt maturè lactificio assuescant.

PARTVS tempestiua fœtus est exclusio. Hanc Sol, vterus, & fœtus moliuntur. Sol, propter suum in res sublunares imperium peracto medio per obliquum circulum curriculo, fœtum maxime cõcutit & exagitat. Vterus tensionis non iam patiens, transuersas fibras contrahit, si pondus illud valeat excussisse. Fœtus vberius quærens pabulum, & amplius auctę flammæ refrigerium, calcitrando disrumpit membranas, & pręuio capite viã sibi facit dum vteri fundo pedibus incumbit: Si autem ab eo nulla speretur contentio, in pedes prodire, & prodeuntem excipere annon melius fuerit? Septimus & decimus mensis, partus termini sunt: qui septimo contingit aut nono, fit secundũ rationem & septenarij gaudet benignitate, eoque magis si gestationis tempore continens vixerit mulier: nono tamen fortunatior euadit; ab eius bonitate decimus non minimùm deflectit, inde enim maxima imbecillitatis suspicio.

OCTAVVS in gestatione mensis, vt sextus in morbis dies omnium pessimus: in vtroque enim omnia grauissima: maxima cum difficultate vterum gerit grauida: multa scatet impuritate, qua eam liberare purgatione aut sanguinis missione non licet: spirandi frequentia pulmones ferè rumpuntur, cor & arteriæ mittendo refrigerio vix sufficientes esse queunt. Fœtus interim & maternos & proprios patitur manes, superest enim ex prægressa contentione imbecillitas maxima, vnde si quem præter naturam affectum contraxerit, facta κατ᾽ ἀπόστασιν crisi ἐκπιπτούσῃ, his ærumnis iuncta partus ipsius difficultas, & repentina ambientis & cibi mutatio, cuique vel robustissimo diligenter cauenda, fœtum non diu sinunt superstitem.

Ergo Octimestris partus minime vitalis.

Asserebat Lutetiæ IOANNES TEXIER Salmurensis, Anno R. S. M. DC. XV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Maunoir.	*M. Michael Francier.*	*M. Petrus Pijart.*
M. Claudius Geruais.	*M. Ioannes Merlet.*	*M. Nicolaus Iabot.*
M. Franciscus Guenault.	*M. Carolus Bouuart.*	*M. Simon. Pietre.*